



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

16. Puella ad vitam reuocatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

issent. Contigitque non raro, vt Xaverium publico in foro, & frequenti dicentem, vnus aliquis Bonziorum insolentior cæteris, interpellaret impudenter, monens voce contenta populum, Europæo illi ne aures daret; dæmonem esse hominis specie, qui loqueretur, non hominem; cui prudens auditor, homo esset an dæmon parum interesset, verum cuiuscumque ex ore prodiret veritas; excipi, & in bonum conferri oportere.

15

Miracula
Xaver. in
Iapon.

15. Ad hunc populi fauorem accedebat commendatio mirabilium operum quibus seruum suum pergebat Deus exornare, & Bonziorum proteruiam tundere. Ex iis pauca hic noto, vt ea Iapones retulerunt. Singulare id fuit quod mare pridem infæcundum, molestissimo accolarum, qui ferè piscibus vescuntur incommodo, pisculentissimum effecit. Nam piscatorum quandoque in turbam incidens, retia eduentium in littus macra & prope vacua, illorum misertus, ad orandum animum conuertit, inde bene retribus precatus, illa denuò tendi iussit.

Mare de sterili
pisculentum.

Quod ab iis cum esset, eius fide, nutuque præstitum (iam enim homine maior habebatur) vim tantam piscium omnis generis conclusere, vt ægrè in siccum illam perducerent, mansitque sua hæc mari fertacitas locupletior quàm vnquam antea.

15

Puer ægrotus
repente
sanatur.

15. Infantem filium, ad eum mater detulerat inflatione deformi tumidum ex obstructo pridem humorum decursu; afflictissima parenti, apud eum loco precum fuit misera pueri species. Acceptum inter brachia vir sanctus piis teneriter oculis contuens, bis teruè, Deus inquit, tibi benedicat, qua voce de cælo repentinam illi valetudinem, formosam & integram prius exorauit, quàm restitueret illum matri, his & talibus opinor,

15

Leprosus
repente
munda-
tur.

15. Leprosus in spem venit recuperandæ sanitatis quam frustra ex Medicis, & remediis diu petebat, huic iniecta mens à Deo, salutis eius propitio, vt sanctum Patrem curando corpori acciret: morem gerere vocanti Pater non potuit, grauiori negotio præpeditus, socium mittit cum mandatis, exquirendi ter ab ægrotò, an esset Christum professurus si ab ea lue sanaretur; constanter spondentem se fore Christianum, ter cruce consignaret, persanaret, mox ritè mysteria edoctum sacro baptismate tingeret. Resque in eum, vt dixerat, modum tota cessit. Paciscitur Xaverij socius valetudinem pro conuersione; Leprosus data fide, ter interrogatus toties promittit religionem Christianam; ter cruce signatus repente conualescit, eaque omni, momento derasa scabie ram terfo se stupet ac nitido corpore vt vnquam in vita fuisset. Ergo miraculi compulsus ineluctabili fulgore datam fidem exfoluit, & sacro fonte abluitur.

16

Puella ad
vitam reuo-
catur.

16. Illustrius aliud, & ad Christianæ apud eum populum gloriæ incrementum efficacius, ostensum in puella ad vitam ex morte reuocanda. Erat hæc vnicè patri cara, homini ethnico sed nobilitate, & opibus inter suos claro: in flore annorum fato functa, cum patri dolorem attulit,

atque, ut tantum non cerebro moueretur; luctu certe infano eius quam plus vita diligebat, miserationem sui cunctis ciebat, & lacrimas: in iis qui senem consolaturi aduentabant, Neophyti duo gestorum Xaverij magnitudinem edocti, suadent ex eo consolationem nihil dubitans quaerant; tanti viri confusus pietate, filiam petat sibi restitui; non fore illi difficile à mortuis illam excitare. His paulum respirans, & refocillatus aliquantula spe, sanctum Patrem adit, eiusque pedibus aduolutus, oculis magis, quam interceptis dolore vocibus, rogat si tantum valeat precibus, apud illum quem predicabat Deum, vnicam filiam morte sibi præceptam redderet, eadem gratia se quoque in vita retinendum, alioqui puella mortua, non posse illi superstitem viuere. Afflictißimi patris inflexus lacrimis vir sanctus, cum Ioanne Fernandio socio tantisper secedit, precaturus Deum, ut miserum senem sua dignaretur consolatione: regressus paulo post; vade, inquit, filia tua certe viuit; at is qui videns secedentem, ad hoc domum intrasse putauerat, ut ab domestico expeditus negotio quopiam, secum veniret ad filia cadaver, illudque fletu, & precibus excitaret, ludi se credidit, dum hoc solum ex eo audiit, certo filiam viuere; recedebat itaque iratus, & indignans, cum fernum aspicit, lætum & hilarem sibi obuiam currere, auditque longè inclamantem, porro ipse quoque gradum maturaret, filiam in vitam redisse, imò sanam, & incolumem agere; moxque pedem ædibus inferenti eadem occurrit, cuius adeò insperato & iucundo aspectu, gaudio suo impar senex propè absuit ut animam ageret. Quærenti verò inter complexus, & lacrimas seriem rei gestæ, narravit puella confestim à morte adstitisse sibi horrendos carnifices, ab iis prehensam, & in altæ voraginis protractam crepidinem, ut subiectis arsuram ignibus darent præcipitem; at duos repente iis obstirisse ignota sibi sed venerabili specie, increpuisse sauos carnifices, seque de illorum assertam manibus, vitæ ac valetudini, quo pacto nesciret redditam. Intellexit pater quibusnam duobus ea liberatio deberetur, iis gratias acturus secum illam Xaverio sistit, quem ut cum Fernandio inspexit puella, vehementer admirans, ad patrem, sunt, inquit, hi duo qui me ignibus exemptam, vita iterum donarunt; nec mora tum parens, tum ipsa, vitali lauacro ablui flagitarunt; postea familiares reliqui, sacris imbuti mysteriis Christum alacres sunt professi.

17 Istis & hæcenus in Iaponia nunquam visis, nec de vilo vnoquam Deo Iaponiæ auditis Xaverio fama incomparabilis meriti, & præpotentis apud Deum mansit, quam etiam publicè conuicio læsam diuina æquitas vltæ est. Homo nefarius vel suapte audacia, vel à Bonziis instinctus iniuriosè verbis Xaverium excepit; sereno & placidè humiles gratias pro conuitiis meditati suggessit Deus velle se in hoc sacrilego, exemplum terroris edere, quò eius pœna ceteri discerent Dei ministros obseruare; vultu ergo sedato, sed malo indolens quod ei nunciabat, Deus, inquit tibi os seruet, & dicto citius, os illi putrescere,

17

Conuiciatorem
Xaver. Deus
plectit otis
carcinode.

Y

tetro,